

## ADNOTATIO XXXIV.

*Lib. V. Decretal. Tit. XIX, § V, n. 86, pag. 455.*

## DE VENDITIONE MERCURUM, DILATA SOLUTIONE.

Attendenda est sequens instructio, exarata a Benedicto XIV, cum esset a secretis congregationis concilii, italico idioma impressa in folio ejusdem congregationis habitae die 23 febr. 1726, tom. III, *Thesauri resolut.* pag. 283: et apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 847:

« Condizione de' contratti di vendita a credenza. » Due regole generali devono osservarsi ne' contratti di vendita a credenza.

» La prima è, che non si venda il tempo, cioè a dire che quegli che vende non pretenda dalla cosa venduta qualche cosa di più del prezzo giusto per il tempo che concede a pagare.

» La seconda, che il medesimo non ponga se stesso, o sempre, o per il più, in sicuro del guadagno, ed il compratore per contrario in sicurezza di perdita.

» E perchè queste regole dipendono molte volte dall' intenzione del vendente, quindi è che il prudente confessore dovrà in simili casi esplorar bene l'intimo in questa sua intenzione; poichè chi vende per esempio il suo grano in credenza nel mese di dicembre per ricevere il prezzo nel mese di agosto, o intendeva di venderlo nel suddetto mese di dicembre, o pensava di trasferire questa vendita in altro tempo, quando forse probabilmente credeva che potesse valer più caro, come nel mese di maggio, verbi gratia.

» Se intendeva di venderlo nel mese di dicembre, non può senza manifesta nota di usura pretendere prezzo maggiore del prezzo giusto che corre nel predetto mese; altrimenti venderebbe il tempo. Ma se pensava di trasferirne la vendita in altro tempo, o determinava in questo caso il prezzo che corre nel tempo che vende, o si contenta che questa determinazione abbia a dipendere da un tempo futuro.

» Se determina al suo grano il prezzo che corre, ancorchè determinasse il prezzo rigoroso, questo contratto è lecito, purchè non trascenda il detto prezzo rigoroso; mentre debbonsi considerare dalla sua parte i pericoli, le fatiche e le spese, che regolarmente occorrono nella conservazione del grano sino al tempo nel quale aveva proposto di venderlo. Se poi lascia che questa determinazione dipenda da un tempo futuro, o vuole che questo tempo sia quello del pagamento, o altro determinato, benchè in esso comunemente soglia valere più caro che in altro tempo precedente, o pretende che abbia a dipendere da un tempo futuro indeterminato.

» Se vuole che dipenda il prezzo da un tempo

» futuro determinato, come se dicesse per esempio: io ti vendo adesso il mio grano, che mi pagherai in mese di agosto al prezzo che valerà a maggio o a giugno, questo contratto è lecito purchè due cose vi concorrano. La prima che non pattuisca del prezzo sommo che correrà nel tempo del pagamento, ma al più del prezzo medio. La seconda che si deducano dal prezzo le spese che dovriano farsi, et tuttociò che sarebbe mancato nel conservarlo sino a quel tempo, secondo il giudizio di uomini esperti.

» Ma se pretende che il prezzo abbia a dipendere da un tempo futuro indeterminato, come se dicesse: io voglio che tu mi paghi il mio grano tanto quanto valerà in qualsivoglia tempo sino alla soluzione del prezzo, quando si venderà più caro, il contratto è usurario; perchè egli si assicura per il più del guadagno, e pone in contrario il compratore nel sicuro della perdita.

» Queste regole si verificano particolarmente nella vendita a credenza, o commutazione economica; che è allora che il vendente non intende di negoziare il prezzo di ciò che vende, ma di servirsene solo ad uso proprio; e però sebbene in essa può succedere talvolta il danno emergente, non per questo potrà giammai il lucro cessante, come potriasi forse considerare nella vendita o commutazione negoziativa. Onde può un mercante, che tiene i suoi danari sempre esposti al negozio, vender le sue merci più care in credenza che in pecunia numerata, perchè vendendo a credenza si priva del guadagno che colla negoziazione avrebbe potuto acquistare; il che ha da intendersi con queste limitazioni:

» I. Che veramente perda di quello il guadagno, perchè non riceve attualmente il prezzo.

» II. Che nell' alterazione del prezzo abbia in considerazione i pericoli, le fatiche e le spese che avrebbe fatte nel conservare le sue merci; et perciò non deve alterarlo sopra il prezzo rigoroso che corre.

» III. Che non venda in credenza, perchè non può vendere di presente a pecunia numerata.

» IV. Che ammonisca il compratore che egli veramente *coram Deo* per la dilata soluzione cessa di guadagnare tanto quanto egli vende a credenza più caro del prezzo giusto le sue merci, acciò, se il suddetto con questa condizione non vuole comprarla, sia posto in sua libertà. »

## ADNOTATIO XXXV.

*Lib. V. Decretal. Tit. XIX, § VI, n. 125, pag. 441.*

## DE CONTRACTU TRINO.

De hoc contractu fuse tractat Benedictus XIV, *De synod. dioc.*, lib. X, cap. VII. Post definitionem

contractus societatis sic pergit Pontifex: « Ut societas justa sit, sicuti lucrum ita et periculum ac damnum debet secundum eandem proportionem esse singulis sociis commune... Ad hujusmodi periculum evitandum, atque unum et solius lucri participem, ejusque securum reddendum, hic ineunda societatis modus est adinventus.

« Titius init contractum societatis cum Sempronio mercatore, cui mille aureos tradit e quibus probabiliter sperat se centum et triginta lucraturum. Sed metuens Titius ne una cum sperato lucro etiam capitale amittat, alium contractum init cum eodem Sempronio cui condonat sexaginta aureos sperati lucri, ut qualiscumque sit futurus negotiationis exitus, ipse caveat de securitate capitalis mille aureorum. Rursusque secum reputans Titius melius sibi fore aliquid moderatum lucrum sed certum habere quam pinguius sed incertum expectare, tertium contractum cum eodem Sempronio init quo eidem remittit alios viginti aureos sperati lucri ut quinquaginta residuos ei solvat, sive negotiatio bene sive male succedat. Obstringitur itaque hisce contractibus Sempronius ad reddendum Titio intra certum tempus integram sortem, id est, summam mille aureorum salvam et quinquaginta insuper aureorum incrementum.

» Hic porro est trinus ille contractus quem celeberrimè fecit exorta inter Dominicum Soto et Martinum Navarrum discordia... Causa delata est ad Sixtum V qui, diligenter quæstione discussa, duplicis securitatis pactionem societati adjectam usurariam pronuntiavit, eamque deinceps fieri prohibuit sua constit. *Detestabilis*, anni 1586.

» Et nihilominus nondum causa finita est; siquidem plures, et non obscuri nominis, posteriores theologi trinum contractum ab omni usure reatu absolvent, et licite etiam nunc fieri posse defendunt... Neque his negotium facessit contraria constitutio Sixti V; aiunt enim cardinales Toletum et Sanctæ Severinæ, quibus concinnandæ constitutionis cura fuerat a Pontifice commissa, testatos esse P. Stephano Tuccio Societatis Jesu Sixti mentem fuisse damnare duntaxat conventiones et pacta, quæ in se injusta, illicita et usuraria forent, non vero quæ omni usura vacare probarentur; quod referret Comitulus *Respons. moral.*, lib. III, quæst. XII, n. 3...

» Ast præfatis doctoribus contradictores se præbent alii... quibus absonum videtur opinari Sixtum V, in constitutione quam edidit ad terminandam controversiam inter Sotum et Navarrum, summa contentione agitatam circa illum contractum trinum, de quo in præsens est sermo, verbis lusisse, et quæstionis nodum non solum non solvisse, sed ne attigisse quidem...

» Hæ sunt præcipua rationum momenta quæ in utramque partem adducuntur. Neque Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minus congruere videatur Sixtinæ constitutioni, ullam hactenus censuram inussit; a quo proinde eidem infligenda debet episcopus abstinere.

» Ad usum vero quod attinet, tuto poterit contractum trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari; quod a plerisque episcopis in suis diocesanis synodis sapientissime factum referunt citati Gennett., tom. I, tract. IV, cap. XIV, et Natalis Alexander, epist. 94 in *Append.* ad tom. II suæ *Theolog. moralis.* »

## ADNOTATIO XXXVI.

*Lib. V. Decretal. Tit. XX, De crimine falsi, n. 12; pag. 456.*

## AN LICEAT AUCTORITATI CIVILI DE LITTERIS APOSTOLICIS ALIQUID DETRAHERE ?

Respondendum negative. « Falsificantes litteras apostolicas, inquit D. Icard, Sancti Sulpitii presbyter, auctor *Prælection. juris canon. habit. in seminario Sancti Sulpitii*, edit. tertia, apud Lecoffre, Parisiis, 1867, tom. III, pag. 200 et sequenti, qui nimirum rescripta, bullas, brevæ quæ nomine Summi Pontificis expediuntur, falsa efficiunt, aut litteris apostolica auctoritate confectis tollunt aliquid, vel immutant quo illarum sensus pervertatur, incidunt ipso facto in excommunicationem majorem Papæ reservatam; si sint clerici, omni officio et beneficio privantur. Qui vero scienter utuntur litteris apostolicis falsificatis, si clerici fuerint, officiis et beneficiis spoliari debent; si laici, tandiu manent excommunicatione innodati donec satisfaciant competenter. »

Legantur in opere cui titulus: *L'Encyclique et l'Épiscopat français*, apud Gaugnet et Pougeois, Parisiis, 1865, acta episcoporum Galliarum circa litteras encyclicas Sanctissimi D. N. Pii PP. IX, die 8 decemb. 1864 editas, *Quanta cura*, cum propositionum a Sancta Sede reprobatarum Syllabo. Quorum litterarum partem et quidem præcipuam et medio tollere gubernium attentavit decreto diei 5 januarii 1865. Unde præsules quamplurimi ad idem gubernium protestationem transmiserunt, et nihilominus præmemoratas litteras in vulgus emisserunt, sed non consueta forma. In supplemento ejusdem operis collecta fuerunt varia documenta ad publicationem earumdem litterarum in diocesi Aurelianensi spectantia, necnon epistola unius ex canonicis contra falsificatas litteras consueta forma publicatas reclamantis; pag. 599 et sequentibus.

In prædicta const. *Quanta cura*, reprobatur propositio sequens: « XXVIII. Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare. (Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.) »

## ADNOTATIO XXXVII.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXI, De sortilegiis, n. 19; pag. 462.*

## ACTA SANCTÆ SEDIS CONTRA DIVINATIONES ET MAGNETISMUM.

Constitutioni *Supernæ* Leonis X, editæ in concilio generali Lateranensi V, sub die 5 maii 1514,

in ejus § XLI infliguntur pœnæ tam in clericos quam in laicos de divinatione convictos, accessit damnatio artis astrologiæ judiciariæ et aliorum quorumcumque divinationis generum, ex constitutione Sixti V, *Cœli et terræ*, 5 januar. 1585, in qua numeratæ leguntur omnium sortilegiorum species... Sixti constitutionem confirmavit Urbanus VIII, ampliavitque infligendo pœnas contra utentes divinatione, seu ab astrologis responsa quærentes super statu reipublicæ christianæ, Sedis Apostolicæ, vita et morte Summi Pontificis ejusque consanguineorum usque ad tertium gradum inclusive, ut in ejus constitutione *Inscrutabilis*, pridie kalend. aprilis 1634. Legatur etiam constitutio Gregorii XV, *Omnipotentis Dei*, 20 mart. 1623, de qua in Adnotatione XC voluminis quinti, pag. 730.

Die 5 aug. 1745, editum fuit decretum Congr. Universalis Inquisitionis, a Benedicto XIV confirmatum, ejus tenor sequitur:

« Sanctissimus D. N. sollicitè animadvertens quam grave sit delictum illorum perditorum hominum qui sacrosanctæ missæ sacrificio, ac salutaris pœnitentiæ sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit quod in posterum sacerdotes tam sæculares quam regulares cujuscumque ordinis, instituti, congregationis et societatis, etiam de necessitate exprimentæ, vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione aut prætextu, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure et apostolicis constitutionibus, ac signanter san. mem. Sixti V et Gregorii XV contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad præfati sacrificii celebrationem; quodque ejusmodi decretum significetur singulis cujuscumque ordinis superioribus ac præpositis ad hoc ut de illo, sicut et de prædictis, aliisque Summorum Pontificum constitutionibus, juxta præscriptum in generali decreto supremæ Inquisitionis die 15 decemb. 1633, semel saltem in anno, feria sexta post octavam Assumptionis B. M. V. in publica mensa, vel in capitulo ad hoc specialiter convocato; ac insuper in quocumque generali vel provinciali capitulo, vel alio, quovis nomine nuncupato, capitulari congressu, suos subditos ac religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram suprema Congregatione juratum testimonium exhibeant. »

Nicolaus Terzago, episcopus Narniensis, in *Instruct. pract. ad confessarios suæ diœcesis*, § De casib. et cens. Sedi apostolicæ reservatis, n. 42, existimat præfatam inhabilitatem non incurri in casibus occultis. Ita sentit Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 856.

Cf. Adnotationem XXVIII supra.

Eadem suprema Inquisitionis congregatio, die 4 aug. 1856, ad omnes episcopos litteras encyclicas dedit ad magnetismi abusus compescendos, ibi: « Compertum est novum quoddam superstitionis genus inveni ex fenomenis magneticis, qui-

bus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel prestigio, præsertim ope muliercularum, quæ unice a magnetizoris nutu pendent.

» Nonnullæ jam hac de re a Sancta Sede datæ sunt responsiones ad peculiare casus quibus reprobantur tanquam illicita illa experimenta quæ ad finem non naturalem, non debitis mediis adhibitis, assequendum ordinantur. Unde in similibus casibus decretum est feria quarta, 24 april. 1844: « Usum magnetismi, prout exponitur, non licere. »

» Similiter quosdam libros ejusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia, præter particulares casus, de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulæ sic statutum fuit feria quarta, 28 julii 1847: « Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque prævium. Applicatio autem principiorum et medium pure physicorum ad res et effectus mere supernaturales, ut physice explicantur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis. »

« Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia ut, neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes, magna cum animarum jactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divinandive principium quoddam se nactos gloriantur. Hinc sonnambulismi et claræ intuitionis, uti vocant, prestigii mulierculæ illæ, gesticulationibus non semper verecundis, abreptæ, se invisibilia quæque conspicerere effutiant, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitionis exercere ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi ac dominis suis divinando certe consecuturæ. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusionem, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis et scandalum contra honestatem morum. »

Cf. *Disquisitionum magicarum libros sex, quibus continentur accurata curiosarum artium et vanarum superstitionum confutatio, utilis theologis, jurisconsultis, medicis, philologis*; auctore Martino Delrio, societatis Jesu, Moguntiæ, 1617, in-4°. — *Tractat. de confessionibus maleficorum et sagarum*, auctore Petro Binsfeldio, suffraganeo Trevirensi, edit. sec. Augustæ Trevirorum 1605, in-8°. — Josephum Bizouard, in curia Divionensi advocatum, *Des rapports de l'homme avec le démon, essai historique et philosophique*, Parisiis, apud Gaume et Duprey, 1863 et seqq. 6 vol. in-8°. — Görres, *Mystique divine, mystérieuse et diabolique*, opus de

idiomate germanico in gallicum translatum cura Caroli Sainte-Foi, Parisiis, 3 vol. in-12.

## ADNOTATIO XXXVIII.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXIV, De clerico venatore, n. 10; pag. 465.*

## AN OMNIS VENATIO CLERICIS SIT INTERDICTA?

Cum duo sint genera venationum, inquit Giraldus, *Expos. jur. pontif.* part. I, sect. 858, altera scilicet clamorosa seu saltuosa, quæ fit cum magno armorum, canum, accipitrum apparatu et tumultu ad capiendos apros, cervos, et majores feras; altera quieta, quæ nimirum exercetur solis laqueis et retibus, aut etiam cum armis, sed paucis adhibitis canibus, sine ullo strepitu ad occidendum volucres, minoresque feras non feroces, communior doctorum sententia est ut clamorosa duntaxat sit interdicta; quamvis contraria sit sanctionibus decretalium hoc tit. allatorum et concilii Lateranensis IV can. 15 conformior.

Juxta hanc distinctionem animadvertit Zypæus in *Jur. pontif. novi analytica enarr.* hoc tit. videri non male accipi posse cap. 12 conc. Trid. sess. XXIV de reform. dum non simpliciter, sed ab illicitis venationibus, canonicos omnes jubet abstinere; et sic etiam accipiendum esse cap. 1, *Episcopum*, hoc tit. quod præcipit abstinere ab immoderata omnium bestiarum et volucrum venatione, prout sibi præ se fert *ly sapius*.

## ADNOTATIO XXXIX.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXVI, De maledicis n. 29; pag. 472.*

## DE PENA BLASPHEMIÆ.

Circa pœnas in constitutionibus pontificiis contentas, notandum est cum cardinali Albitio, *De Inconstant in fide*, cap. xxxi, n. 139 et seqq. ibi: « Quo vero ad pœnam, licet contra blasphemos variæ a legibus imperialibus et sacr. canonibus latæ sint pœnæ, ut videre est penes Cartharium decis. II, et habemus constitutiones Julii III et B. Pii V in hac materia, de quibus Lotter. *De re beneficiar.* tom. II, lib. III, quæst. XXVIII, n. 110 et n. 112, nihilominus hujusmodi leges, canones, et constitutiones non sunt in usu in Sancto Officio, ut in specie notant Azor. et alii; sed omnes pœnæ circa blasphemos sunt arbitrariæ... » Arbitrium autem regulatur a qualitate blasphemiarum et personarum. Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 860.

## ADNOTATIO XL.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXVII, De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante, n. 22, pag. 476.*

## QUID DE CLERICO IN MINORIBUS CONSTITUTO, CENSURIS IRRETITO, MINISTRANTE?

« Magna fuit controversia inter canonistas an, sicuti constitutus in aliquo ex sacris ordinibus,

exercens ordinem suspensione aut excommunicatione ligatus, incurrit irregularitatem, ita etiam incurrat constitutus in minoribus sui ordinis ministeria exercens, iisdem respective censuris irretitus... Hodie dirempta est controversia, dicendumque est et ipsos minoristas, censura ligatos ministerium suum exercentes, irregularitatem incurere, tum ex stylo sacræ Pœnitentiariæ et congregationis concilii, ut admonet Fagnanus, tum ex declaratione Benedicti XIV, in epistola encyclica ad pœnitentiaros et confessarios pro anno sancto in Urbe deputatos, *Inter præteritas*, 3 decembris 1749. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 861.)

## ADNOTATIO XLI.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXVIII, De clerico non ordinato ministrante, n. 16; pag. 478.*

DE CLERICO, AD PRESBYTERATUS ORDINEM NON PROMOTO, MISSAM AUT PARTEM MISSÆ ETIAM SINE PROLATIONE FORMÆ CELEBRANTE; ET DE DIACONO AC TUM ORDINI SACERDOTALI INNIXUM EXERCENTE.

Quoad primam partem, legatur constitutio Benedicti XIV, *Sacerdos in æternum*, diei 20 aprilis 1744.

Quoad secundam, quæri posset an etiam irregularis efficiatur exercens, puta diaconus, actum ordini sacerdotali innixum ex institutione ecclesiastica, ut sunt multæ benedictiones. Affirmat Thesaurus, *De pœnis*, verbo *Ordo*, cap. xxxii, § *Amplia secundo*. Verum id non ita certum visum est S. Congr. concilii, cum in hac eadem facti specie declaraverit non absolute, sed ad cautelam duntaxat, dispensandum esse diaconum qui, cum esset parochus, præter baptismum solemniter collatum, benedixit etiam panem et aquam, dum celebrabatur missa parochialis, ut in *Carnoten*. 2 decemb. 1679, lib. XXX. *Decretor.* ejusd. Congr. pag. 496. Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 865.

## ADNOTATIO XLII.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXX, De eo qui furtive ordinem suscepit, n. 13; pag. 482.*

QUID DE VALIDITATE ORDINUM CLERICIS IMPEDIMENTO CANONICO LABORANTIBUS COLLATORUM, QUANDO EPISCOPUS ORDINES CONFERENS DECLARAVIT SIBI INTENTIONEM NON ESSE TALES ORDINANDI?

« Si episcopus in allocutione qua, ante ordinationem, ipsius nomine archidiaconus jubet sub pœna excommunicationis ne qui canonico aliquo impedimento laborant ad suscipiendos ordines accedant, prætergressus limites Pontificis romani, aliquomodo declarasset sibi intentionem non esse

tales ordinandi, ordinatio esset nulla, ut decidit S. Congr. concilii, die 23 januarii 1586. Proposito enim sibi dubio: « An ordinati ante aetatem legi- » timam ab episcopo qui, ante ordinationem, in » ecclesia publico edicto protestatus est quod non » intendebat ordines conferre nisi iis qui in aetate » legitima erant constituti, receperint vacuum ma- » nus impositionem; responsum fuit ex communi » sententia recepisse vacuum manus impositio- » nem. » Quae resolutio approbata fuit ab Inno- » centio XI, ut refert Benedictus XIV, *De sacrificio missae*, lib. III, cap. x, n. 7.

» In similibus casibus exploranda est mens episcopi qui sic ordines contulit. Quod si clara desit probatio ipsius contrariae intentionis, vel dubitari possit num aliquo modo eam revocaverit, iteranda est ordinatio sub conditione, potissimum si agatur de ordinatione sacerdotis sic facta, ne remaneat dubium cum periculo invaliditatis aliorum sacramentorum quae a sacerdotio dependent. Ita respondit eadem Congr. etiam in dubio de ordinibus minoribus in *Aprutina ordinum*, 11 febr. 1710, et in *Ugentina ordinum*, 8 aug. 1743, in foliis typo datis dictionum dierum; quam praxim servat pariter S. Penitentiaria, teste Thesaurio, *De poenis eccles.* verbo *Ordo*, cap. VII, n. 2. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 867.)

## ADNOTATIO XLIII.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXI, De excessibus praetoriorum, n. 21; pag. 485.*

TENEANTUR REGULARES ACCEDERE AD PROCESSIONES INDICTAS AB EPISCOPO?

« Licet regulares cogi nequeant accedere ad processiones ex levi causa indictas, ex contrario sensu decretalis *Nimis prava*, hoc. tit. cogi possunt, si indictae fuerint ex magna causa puta, ut notat hic Fagnanus n. 6, in novo ingressu episcopi vel legati, vel imminente peste vel flagello, vel ad generales litanias quae fiunt post Pascha ante festum Ascensionis, aut ad quaeumque alias publicas processiones, juxta praecipuum conc. Trid. cap. 13, sess. XXV, *De regularibus*. Neque his suffragantur amplius privilegia et consuetudines, etiam immemorabiles, non accedendi, ante dictum concilium concessa, utpote ab eodem sublata, cap. 22, ejusdem sessionis.

» Advertendum tamen est quod regulares eximuntur, si eorum monasteria distent a civitate ultra medium milliare, dummodo non vigeat consuetudo accedendi quae, non obstante unius miliaris distantia, servanda est ex S. Rit. Congr. decreto, 12 sept. 1699, relato a Ferraris, *Prompta biblioth.* verbo *Processio*, n. 19.

» Eximuntur etiam et cogi non possunt, ut refert idem Ferraris loc. cit. ex decreto Congr. Concil. 9 maii 1597, sacerdotes nullum officium aut beneficium ecclesiasticum in civitate vel diocesi

obtinentes; clerici nullius diocesis; clerici regulares Societatis Jesu, constit. Gregorii XIII *Quaecumque*; clerici regulares S. Pauli, ex constit. Sixti V, *Romani*; clerici regulares scholarum piarum, ex constit. Urbani VIII, *Debitum*.

» Sic eximuntur alii plures regulares juxta eorum respective privilegia, dummodo sint recta, et non ex generali communicatione concessa post Tridentinum, nec contraria consuetudine abrogata.

» Praeter privilegia exemptionis ab accessu ad publicas processiones, possunt etiam regulares eximi ex praescriptione, sed « ea, inquit clarissimus vir Mazzei, in addit. ad Ferraris, loc. » citato, non aliter potest opponi quam si regulares » vocati per tempus legitimum non intervenerint in » publicis processionibus. Caeterum regulares non » vocati, tametsi per diuturnum tempus non in- » tervenerint in publicis processionibus praescrip- » tionem opponere nequeunt, idque quia, ubi » quaestio est de praescriptione juris negativi, cum » iis, qui ante interpellationem nulla tenentur obli- » gatione, ea non incipit nisi a die qua interpel- » lati contradixerint, et sic possidere coeperint. Pei- » rin. ad const. II Sixti IV, § II, n. 57 et alii. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 875.)

## ADNOTATIO XLIV.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXIII, De privilegiis, § VI, n. 148; pag. 523.*

DE PRIVILEGIIS A CONCILIO TRIDENTINO ABROGATIS.

Quamvis unusquisque possit decreta Tridentina evolvere et privilegia passim abrogata deprehendere, indicare juvat studiosis Elenchum exaratum a Girardo in addit. ad *Institut. canon.* Remigii Maschat. et ab eodem insertum in sua *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 893.

## ADNOTATIO XLV.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXIII, § X, n. 240; pag. 537.*

DE REVOCATIONE PRIVILEGIORUM QUOAD USUM ALTARIS PORTATILIS.

Legatur Adnotatio XLI voluminis quinti, pag. 699.

## ADNOTATIO XLVI.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXIV, De purgatione canonica, n. 21; pag. 540.*

DE PURGATIONE CANONICA, QUOAD PRAXIM HODIERNAM.

Legantur Adnotationes X et XVI voluminis tertii, pag. 610 et 613.

## ADNOTATIO XLVII.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXVII, De poenis, § V, n. 112; pag. 565.*

DE POTESTATE ECCLESIAE CIRCA PENAS TEMPORALES INFELIGENDAS.

In syllabo adnexo litteris apostolicis *Quanta cura*, diei 8 decembris 1864, inter propositiones reprobatae legitur sequens:

« XXIV. Ecclesia vis inferenda potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. (Litt. apostol. *Ad Apostolicam*, 22 augusti 1851). »

Cf. eximium opus ab A. C. Peltier, canonico honorario Remensi, conscriptum sub titulo: *La doctrine de l'Encyclique justifiée au double point de vue de la foi et de la raison*; Remis, 1865.

Cf. etiam Adnotationem X voluminis tertii, pag. 610.

## ADNOTATIO XLVIII.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXVIII, De poenitentibus et remissionibus, n. 19; pag. 568.*

CIRCA SIGILLUM SACRAMENTALE.

« Nota I. Ex decreto generalis Inquisitionis, auctoritate Innocentii XI edito 18 nov. 1682, scriptam esse hanc propositionem: « Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, etsi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de casu scientiae ex confessione acquisita cum gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu quo multo gravius gravamen ejusdem poenitentis ex non usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine poenitentis, etiam cum dicta explicatione, praesenti decreto EE. PP. prohibent. »

« Nota II. Clementem VIII, 26 maii 1594, prohibuisse regularibus hujusmodi notitiam usum sequenti decreto: « Tam superiores pro tempore existentes quam confessarii, qui postea ad superioriorum gradum fuerint promoti, caveant diligentissime ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exterioram gubernationem utantur. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 912).

## ADNOTATIO XLIX.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXIX, De sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, § I, n. 46; pag. 574.*

DE PENIS ECCLESIASTICIS.

Consulatur opus cui titulus: *Traité des peines ecclésiastiques, de Fappet et des congrégations ro-*

*maines*, scriptum a Joanne Stremler, in sacra theologia et jure canonico doctore; Parisiis, apud vi- duam Poussielgue-Rusand, 1860.

## ADNOTATIO L.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXIX, § III, n. 103; pag. 583.*

DE COMMUNICATIONE IN DIVINIS CATHOLICORUM CUM HERETICIS ET SCHISMATICIS.

Legantur apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 926, Instructiones Sancti Officii, ann. 1729 et 1733 datae. Die 10 maii 1753, Benedictus XIV sic ad sequentia dubia respondendum decrevit:

« I. An liceat catholicis latinis concedere vel permittere ut in eorum ecclesiis missam celebrent presbyteri graeci ritus, schismatici et heretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum? Quoad primam partem, non licere... Quo vero ad secundam partem, quatenus schismatici comitantes funera catholicorum meram praesentiam materialem exhibeant causa honoris civilis erga defunctos, non se immisceant precibus ac ritibus catholicis... tolerari posse; quatenus vero in illa functione proprios ritus adhibeant, vel nostris se immisceant, non licere, nec esse permittendum.

» II. An liceat catholicis graeci ritus, non habentibus catholicam ecclesiam ejusdem ritus, communicare in divinis cum graecis schismaticis et hereticis? Non licere, quia in casu proposito confugere possunt ad ecclesiam catholicam latinorum et, in defectu sacerdotis catholici ritus graeci, a sacerdotibus latinis sacramenta suscipere.

» III. An liceat confessorius, vel sacerdotibus latinis administrare sacramentum poenitentiae graecis catholicis communicantibus in divinis cum graecis schismaticis? Non licere extra casum extremam necessitatis. »

Cf. eundem Benedictum XIV, *De synodo diocesis*, lib. III, cap. v, in quo notanter scribit: « Fere impossibile est usu venire ut a flagitio excusari valeant catholici sese in rebus sacris cum haereticis et schismaticis admiscentes. Quamobrem Sacrae Urbis Congregationes, Sancti Officii videlicet et de Propaganda fide, illicitam semper reputarunt communionem, de qua est sermo... »

In instructione, de qua loquitur hoc in loco Pontifex, data scilicet a Sancto Officio ann. 1729, legitur: « Qui in ea ritus et orationis et cultus celebratione conveniunt cum heterodoxis, in his facti circumstantiis, catholici quique, reatu perverse communicationis, aut saltem perniciosi scandalii purgari non possunt. Nec eos excusat assistentiae mere materialis praetextus; facto enim ipso excluditur, quo qui functionibus hisce hereticorum aut schismaticorum intersunt, satis cum ipsis convenire in unitate orationis, in unitate cultus, in uni-

tate venerationis et obsequii erga perversos ministros hæreseos schismatisque præ se ferunt. »

Igitur non sunt audiendi theologi et canonistæ, inter quos Natalis ab Alexandro, Cabassutius et Van-Espen qui, ex constitutione Martini V, *Ad vitanda scandala*, perperam inferebant permissam esse communicationem cum excommunicatis etiam in divinis et sacramentorum administratione vel receptione, modo non sint publice et nominatim denunciati; ut jure animadvertit Giralduus, loco citato.

## ADNOTATIO LI.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXIX, § IV, n. 133; pag. 593.*

COMMENTARIA IN BULLAM CŒNÆ DOMINI.

Studiosi lectores perlegent magno cum fructu elucidationes quas Petrus Rebuffus, doctor Montepeliensis, scripsit et evulgavit, sæculo decimo sexto, super bulla in cœna Domini dicta. Consulatur editio Parisina, data sumptibus Roberti Fouet, in folio, 1623, cujus titulus hic ad longum inseritur pro majori lectorum utilitate: « Praxis » beneficiorum D. Petri Rebuffi, Montispessulani » jurium doctoris ac comitis, jurisque pontificii » ordinarii professoris Paris. et ibidem in supremo » senatu causarum patroni; cui apposuimus bullam cœnæ Domini, bullam item jejuniorum ac » supplicationum S. D. N. P. Pauli III; additiones » præterea ad regulas cancellariæ, cura Audomari » Rebuffi, Montispessulani, jurium doctoris, auctoris » nepotis, diligentissime excultas; necnon » practicam cancellariæ apostolicæ D. Hieronymi » Pauli Barchin cum elucidationibus P. Rebuffi. » Hisce in majorem lectoris commoditatem adjecimus concordatorum tractatum inter S. D. N. » Papam Leonem X ac Sedem Apostolicam et » Franciscum christianiss. Francorum regem et » regnum, editum cum glossis ejusdem Petri Rebuffi. Item super concordatis inter Sanctam Sedem Apostolicam et inelytam nationem Germaniæ collectanea, omnibus Germanis cognita necessaria, per Georgium Branden, juris utriusque » doctorem, presbyterum Eysteten. et canonicum » Augustanum; adjunctis nonnullis aliis ad executionem litterarum apostolicarum pertinentibus. »

## ADNOTATIO LII.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXIX, § VI, n. 179; pag. 599.*

DE SUSPENSIONE EX INFORMATA CONSCIENTIA.

Lege apud laudatum Joannem Stremmer, Adnot. XLIX supra, in opere citato, paginas 309 et seqq. ubi tractatur de suspensione ex informata conscientia, de origine potestatis episcoporum in

hac parte, de natura et effectibus prædictæ suspensionis; de delictis quæ plecti possunt eadem suspensione; de modo illam infligendi et de illis qui possunt infligere; de temporis intervallo ad quod ista pœna extendi possit; de his contra quos pronuntiari queat; de appellatione vel recursu ad Papam; tandem de denegatione ordinum ex informata conscientia.

Cf. Adnotationem XXVIII, supra.

## ADNOTATIO LIII.

*Lib. V. Decretal. Tit. XXXIX, § VIII, n. 270; pag. 613.*

DE ABSOLUTIONE DATA CONSTITUTO IN ARTICULO VEL PERICULO MORTIS A SACERDOTE NOMINATIM EXCOMMUNICATO ET DENUNTIATO.

Sic se habet cardinalis Albitius in suo libro *De inconstantia in fide*, part. I, cap. XVIII, n. 39: « Magna insurrexit controversia in examine cujusdam episcopi coram san. mem. Alexandro VII; nam cum fuisset interrogatus a P. Diana, sive ab alio examinatore, an sacerdos nominatim excommunicatus posset absolvere existentem in articulo mortis, et episcopus respondisset affirmative, D. Cardinalis Pallavicinus dixit bon. mem. Fagnanum in suis *Relection.* attestari in S. Congregatione Concilii fuisse determinatum contrarium, et propterea magnus rumor insurrexit, quia videbatur opinio contraria omnibus doctoribus qui post Concilium scripserunt. Et revera Fagnanus in *Repetit.* cap. *Quoniam, De constitut.* refert congregationem cardinalium Moronis, Alciati, Senensis, Montalti, Albani, Sancti Sixti censuisse non posse per doctrinam Magistri sententiarum, S. Thomæ, Durandi, Turris-Crematæ, S. Antonini, Baccioni et aliorum theologorum ab eo citatorum. Sed quia, ut dixi, magnum murmur factum fuit, et P. Diana, et forsitan aliquis alius scripsit pro opinione affirmativa, idem R. P. Fagnanus latius reassumpsit articulum in cap. *Non est vobis, De sponsal.* et conatur respondere omnibus argumentis in contrarium allegatis. Sed licet maxima cum diligentia fuerint requisiti libri et regesta decretorum S. Congr. Conc. Trident. dicta declaratio reperiri non potuit. Dicendum est ergo quod declaratio prædicta facta non fuerit, vel, si facta fuerit, e prædictis libris expuncta tanquam contraria opinioni dictorum theologorum, qui post Concilium scripserunt. Et novi etiam quod, de anno 1682, tempore pontificatus SS. D. N. Innocentii XI, fuerit in S. Congregatione S. Officii super ista opinione disceptatum; et, cum aliqui ex cardinalibus opinionem S. Thomæ sequerentur, fuit ad trutinam revocata. Relata re ad Sanctissimum, Sanctitas sua pro sua prudentia jussit ne super dicta opinione disceptaretur, neque in dubium amplius revocaretur, prout mihi asseruit R. P. D. Piazza, assessor Sancti Officii. »

Idem Albitius, n. 40, sentit cum Suarez, Navarro et aliis doctoribus posse in articulo mortis etiam recipi a sacerdote hæretico, nominatim denunciato, sacramentum Eucharistiæ, si non adsit alius sacerdos qui possit illud administrare. Giralduus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 926. Cf. Adnotationem L, supra.

## ADNOTATIO LIV.

*Lib. V. Decretal. Tit. XL, De verborum significatione, n. 40; pag. 615.*

RESCRIPTA PONTIFICIA SUNT STRICTISSIMÆ INTERPRETATIONIS.

Sic loquitur D. N. Pius PP. IX in sua constitutione diei 3 maii 1858, *Amantissimi Redemptoris*, circa missam pro populo:

« Quamvis Romani Pontifices decessores nostri, enixis sacrorum antistitum petitionibus, ac variis pluribusque fidelium populorum indigentis, et gravibus rerum, temporum ac locorum rationibus permoti, festos de præcepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin sacrum audire deberent, tamen iidem prædecessores nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt ut scilicet

prædictis diebus nihil in ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur quo antea peragi solebant, cum enuntiata Urbani VIII constitutio plene vigeret, qua festi de præcepto dies servandi fuerant præscripti.

» Ex quo parochi vel facile intelligere poterant se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo missam, quæ potissima ritus pars est; animo præsertim reputantes pontificia rescripta eo plane, quem præ se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimæ esse interpretationis. »

## ADNOTATIO LV.

*Lib. V. Decretal. Tit. XLI, De regulis juris, n. 5; pag. 615.*

DE REGULIS JURIS AB AUCTORE NOSTRO ELUCIDATIS.

Tractatus de regulis juris, quem auctor noster jam conscripserat tempore quo publicæ luci committebat suum *Jus canonicum universum*, ut ipse narrat hoc titulo, multis abhinc annis evulgatus est, et tanquam complementum operis merito habetur. Hunc in volumine sequenti, septimo scilicet præsentis editionis, lector deprehendet una cum indicibus generalibus.